



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Romæ, M. DCC. XIX.**

Canon XII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](#)

*liam Fundatoris ad formam dispositionis ejusdem*  $\equiv$ .

Putabat Sinibaldus Cappellaniā Sānti Ambrosii erectam in titulum perpetui Beneficii non esse reformandam in Cappellaniā amovibilem quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris, non obstante ejusdem voluntate. Etenim negligente hærede, & Patrono adimplere voluntatem Fundatoris, dum interpellatus ab Episcopo in visitatione anni 1697., & expeditatus per biennium semper renuit erectionem petere beneficii, nominationem Rectoris explere, Missas celebrare, aut celebrari facere, nec non suppellestilia, aliaque necessaria præstare, ob tantam Patroni negligentiam, & contraventionem, justè potuit Episcopus devenire ad erectionem Cappellaniæ, & eam efficerē simpliciter perpetuam, cum ad ipsum spectet omnium Beneficiorum suæ Dicēcēsis institutio, & fundatio, nec absque ejus assensu ea fundari possint, juxta dispositionem *Canonis XXVIII. Part. II.*, & Auctoritates ibi in *Commentario* relatas; quæ eratio est attendenda, & prævalere debet cuicunque dispositioni Fundatoris juxta superius firmata dicta *Part. II. Can. I. & II. Caf. VII. num. 9.*

2 Ego verò studens in hac causa, meum aperiendo sensum, censebam supradicto

dubio *Affirmative* esse respondendum; Clara, namque sunt verba Fundatoris disponentis Cappellaniā debere esse amovibilem in hypothesi, in qua ad eam præsententur Cappellani extra Familiam Fundatoris, ibi  $\equiv$  *Quod Cappellanus eligendus ab hæredibus masculis regulariter sit amovibilis, semperque eligatur unus de Familia, quatenus existat, quod vult esse perpetuum, & quatenus non existerent Sacerdotes, seu Clerici de Familia Ambrosiana, eo casu Cappellanus, seu Rector sit amovibilis*  $\equiv$  Unde Episcopus non poterat hanc legem fundationis alterare, & efficerē hanc Cappellaniā simpliciter perpetuam, contra voluntatem ejusdem Fundatoris omnino servandam juxta Auctoritates superius relatas *ditto Caf. VII.* ubi supra n. 4., & consequenter quicquid male gesserit ordinarius reducendum venit ad justitiæ tristes, & erectio Cappellaniæ ab ordinario facta in titulum beneficii perpetui licet do nec quoisque rescindatur, & reformatur, observanda veniat, ut notavi dicto *Caf. VII. num. 9.*, tamen est reformanda in Cappellaniā amovibilem quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris ad formam dispositionis ejusdem. Et ita resolutum fuit ab eadem Sac. Congregatione dicta die 22. Aprilis 1719.

## CANON XII.

*CONCILIUM TRIDENTINUM* *Sess. XXV. Cap. IX.*

**S**icuti legitima Patronatum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est, sic etiam, ut hoc colore Beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod à multis imprudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit Sancta Synodus, ut titulus Jurispatronatus sit ex fundatione, vel dotazione, qui ex authentico fundamento, & aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundūm

juris

Juris dispositionem. In iis verò personis, seu Communib;  
tibus, vel Universitatibus, in quibus id jus plerumque ex  
usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior, & ex-  
æctior probatio ad docendum verum titulum requiratur:  
Nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffrage-  
tur, quæm si præter aliqua ad eam necessaria, præsentationes  
etiam continuatæ, non minori saltèm, quæm quinquaginta  
annorum spatio, quæ omnes effectum fortitæ sint, authenti-  
cis Scripturis probentur. Reliqui Patronatus omnes in Be-  
neficiis tam Sæcularibus, quæm Regularibus, seu Parochiali-  
bus, vel Dignitatibus, aut quibuscumque aliis Beneficiis in  
Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, seu facultates, & Privi-  
legia concessa tam in vim patronatus, quæm alio quocum-  
que jure nominandi, eligendi, præsentandi ad ea, cùm va-  
cant, exceptis patronatibus, super Cathedralibus Ecclesiis  
competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, &  
Reges, aliosque sublimes, ac supremos Principes, jura im-  
perii, in dominiis suis habentes, pertinent, & quæ in favo-  
rem studiorum generalium concessa sunt; in totum prorsus  
abrogata, & irrita cum quasi possessione indè sequuta intelli-  
gantur; Beneficiaque hujusmodi tanquam libera à suis Col-  
latoribus conferantur: ac provisiones hujusmodi plenum,  
effectum consequantur. Ad hæc liceat Episcopo præsenta-  
tos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere; Quod si ad  
inferiores institutio pertineat; ab Episcopo tamen juxta alia  
statuta ab hac S. Synodo examinentur; alioquin institutio  
ab inferioribus facta irrita sit, & inanis. Patroni autem be-  
neficiorum cuiuscumque ordinis, & Dignitatis, etiamsi  
Communitates, Universitates, Collegia quæcumque Cleri-  
corum, vel Laicorum existant, in perceptione fructuum,  
proventuum, obventionum, quorumcumque Beneficio-  
rum, etiamsi verè de Jurepatronatus ipsorum ex fundatione,  
vel donatione essent, nullatenus, nullave causa, vel occasio-  
ne se ingerant, sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato, non

obstante

obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant. Nec dictum Juspatronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo, in alios contra Canonicas sanctiones transferre presumant; si secus fecerint excommunicatis, & interdicti poenitentia subjiciantur, & dicto Jurepatronatus ipso jure privati existant. Insuper accessiones per viam unionis factæ de Beneficiis liberis ad Ecclesiæ Jurispatronatus, etiam Laicorum subjectas tam ad Parochiales, quam ad alia quæcumque Beneficia etiam simplicia, seu Dignitates, vel Hospitalia, ita ut praedicta Beneficia libera ejusdem naturæ cum iis, quibus cum uniuntur, efficiantur, atque sub jurepatronatus constituantur: Hæ si non dum plenarium sortitæ sunt effectum, vel deinceps ad cuiusvis instantiam fient, quacumque Auctoritate etiam Apostolica, concessæ fuerint, simul cum unionibus ipsis per subreptionem obtentæ intelligantur, non obstante quacumque in iis verborum forma, seu derogatione, quæ habeatur pro expressa, nec executioni amplius demandentur, sed Beneficia ipsa unita, cum vacaverint, liberè, ut antea, conferantur. Quæ verò à quadraginta annis citra factæ, effectum, & plenam incorporationem sunt consecutæ, hæ nihilominus ab ordinariis, tanquam à Sede Apostolica delegatis, revideantur, & examinentur, ac quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, simul cum unionibus irritæ declarentur, ac Beneficia ipsa separentur, & aliis conferantur. Similiter quoque Patronatus quicunque in Ecclesiæ, quibuscumque aliis Beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis, acquisiti a 40. annis citra, & in futurum acquirendi, seu ex augmendo dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa etiam auctoritate Sedis Apostolicæ ab iisdem ordinariis uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis impedianter diligenter cognoscantur, & quos non repererint ob maximè evidenter Ecclesiæ, vel Beneficii, seu Dignitatis necessitatem legitimè constitutos esse, in totum

revol-

revoquent, atque Beneficia hujusmodi sive damno illa possidentium, & restituto Patronis, eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant. Non obstantibus Privilegiis, constitutionibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus:

## COMMENTARIUM.

**E**X hoc Canone sequentes deducuntur conclusiones.

**Prima** = JUSPATRONATUS PROBARI DEBT EX AUTHENTICO DOCUMENTO FUNDATIONIS, VEL DOTATIONIS, AUT EX MULTPLICATIS PRÆSENTATIONIBUS PER ANTIQUISSIMUM TEMPORIS CURSUM; AUT ALIAS SECUNDUM JURIS DISPOSITIONEM = .

**Secunda** = JUSPATRONATUS COMPETENS PERSONÆ POTENTI, PROBARI DEBT PER INSTRUMENTUM FUNDATIONIS, VEL CONSTRUCTIONIS, VEL DOTATIONIS, EOQUE DEFICIENTE PER IMMORABILEM, UNA CUM PRÆSENTATIONIBUS CONTINUATIS, ET EFFECTUM SORTITIS SPATIO QUINQUAGINTA ANNORUM, ET PROBATIS PER AUTHENTICAS SCRIPTURAS = .

**Tertia** = JUSPATRONATUS COMPETENS ALICUI EX MERO PRIVILEGIO EST ABLATUM, ET REVOCATUM, EXCEPTIS PATRONATIBUS REGIIS, ET ALIIS COMPETENTIBUS SUPREMIS PRINCIPIBUS, JURA IMPERII IN DOMINIIS SUIS HABENTIBUS, ET QUAE IN FAVOREM STUDIORUM GENERALIUM CONCESSA SUNT = .

**Quarta** = SI INSTITUTIO SPECTAT AD INFERIOREM PRÆSENTATUS EXAMINARI DEBT AB EPISCOPO = .

**Quinta** = PATRONI NON POSSUNT DISPONERE DE REDDITIBUS ECCLESIAE PATRONATÆ, SED ILLI CONSIGNANDI SUNT EJUS RECTORI. =

**Sexta** = JUSPATRONATUS, EMI, VEL VENDI NON POTEST, SUB POENIS ILLIUS PRIVATIONIS, EXCOMMUNICATIO, ET INTERDICITI = .

**Septima** = ECCLESIAE LIBERÆ UNIRI NON POSSUNT ECCLESIIS PATRONALIBUS = .

**Octava** = JUSPATRONATUS ACQUISITUM, VEL PER VIAM ACCESSIONIS, AUT EX AUGMENTO DOTIS, AUT EX REÆDIFICATIONE, A QUADRAGINTA ANNIS CITRA A DIE ACQUISITIONIS AD DIEM CONFIRMATIONIS CONCILII REVIDERI POTEST AB ORDINARIO, QUI ILLUD REVOCARE DEBT, SI NON REPERERIT OB ECCLESIAE EVIDENTEM NECESSITATEM LEGITIME CONSTITUTUM = Quas conclusiones sequuntur etiam.

Frass de Patron. Reg. tom. 1. cap. 2. n. 4. cap. 3. num. 36. cap. 5. n. 18. cap. 7. num. 2. cap. 30. num. 38. cap. 31. n. 3. & seqq. cap. 69. n. 50. cap. 85. n. 51. cap. 92. n. 15. Spad. conf. 12. 18. 19. & 21. lib. 2. Noal. conf. 87. num. 9. & conf. 88. sub num. 2. Fagnan. in cap. cum vos de offic. ordin. n. 6. & in cap. querelam de elect. n. 5. Ventrigr. in prax. par. 2. annot. 1. §. 2. n. 1. & seqq. & annot. 18. §. 1. num. 28. Barbos. hic. Capic. Latro consult. 153. num. 5. tom. 2. Rosa de execut. Litt. Apostolic. par. 1. cap. 16. num. 45. Oliva de for. Eccles. par. 1. quest. 7. n. 28. & seq. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3. cap. 6. §. 5. n. 40. & seqq. & de tempor. legal. lib. 2. cap. 104. num. 1. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 11. & de Jurepat. disc. 3. & disc. 58. Bertacbin. vot. dec. 138. num. 1. Pignattell. consult. 82. per tot. tom. 9. Capon. discept. 12. num. 33. & seqq. tom. 1. & discept. 74. n. 22. Gratian. discept. 197. n. 12. ibique Carol. Anton. de Luc. num. 1. & seqq. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 18. num. 15. Garz. de benef. par. 5. cap. 9. n. 70. Tondut. quest. benef. par. 3. cap. 192. Rot. post Vivian. de jurepat. decis. 17. n. 2. & dec. 142. n. 1. & seqq. coram Buratt. & decis. 162. n. 1. & seqq. & dec. 188. n. 2. & dec. 148. n. 9. & seqq. coram Bich. & decis. 247. n. 2. & dec. 461. n. 1. & decis. 464. num. 2. & dec. 469. n. 1. & seq. & dec. 25. num. 1. & seqq. & dec. 1784. n. 18. & seqq. cor. Coccin. & decis. 42. per tot. & dec. 352. n. 1. & seqq. coram Millin. & dec. 34. n. 17. coram Arguell. & dec. 453. n. 1. coram Peutinger. & dec. 445. n. 9. coram Cerro, & dec. 498. n. 1. & seqq. & 572. num. 2. & seq. & dec. 604. n. 1. coram eodem; & dec. 383. n. 5. & seq. cor. Priolo, & dec. 71. n. 3. & 8., & dec. 174. n. 1. & dec. 176. num. 4. coram Carill. & dec. 80. num. 2. & 140. n. 2. & decis. 115. n. 1. & dec. 223. n. 8. & 9. & decis. 355. n. 1. & dec. 420.

num. 10.

num. 10. coram Rembold. & dec. 196. num. 4. par. 5. tom. 1. & dec. 630. n. 85. & seq. par. 4. tom. 3. & decis. 82. num. 17. par. 7. & dec. 63. num. 2. par. 16. & dec. 782. num. 1. & seqq. & decis. 576. num. 9. & seqq. par. 18. & decis. 6. num. 1. & seqq. & dec. 8. num. 4. & seq. & dec. 136. num. 1. & seqq. par. 19. rec., & in Beneventana Jurispatronatus 10. Maji 1700. §. Siquidem coram bo. me. Caprara, & in Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707. S. Et ob id, coram R.P.D. Ansaldo, superius impress. Par. II. Can. XXII. XXIII. & XXIV. Cas. IV. n. 17., & in Bononien. Archipresbyteratus 10. Martii 1710. §. Addito, coram R.P.D. Aldrovando, & 23. Febr. 1711. §. Atque, coram Reverendissimo Molines, & in Arianen. Archipresbyteratus 14. Martii 1710. §. Quibus positis, coram Eminentissimo Scotto, & in Vicen. Parochialis de Aqualata 31. Martii 1713. §. Hujusmodi, coram R.P.D. Crispo, & in Compostellana Parochialis 16. Novembbris 1716. §. Agitur, coram R.P.D. Falconerio, & in Triviana Jurispatronatus 17. Junii 1718. §. Et sanè, cor. R.P.D. Foscari.

Frequentissimè ante Concilium contingebat usurpatio Jurispatronatus, dum Personæ Potentes, quibus Ordinarii contradicere, vel resistere non de facili poterant, maxima facilitate Ecclesiæ, & Beneficia in servitutem redigebant, & sibi arrogabant Juspatronatus, præsertim occasione absentia Sedis Apostolicæ ab Urbe, & Italia; Hinc proinde Sapientissimi Patres sicuti in anteriori *Canone* providerunt indemnitatì Patronorum, quando revera constat de eorum Jurepatronatus, prohibendo nimirum derogare, & alterare qualitates, & conditiones in limine fundationis beneficiorum per ipsos appositas; ita in hoc *Canone* providere non omiserunt Libertati Ecclesiarum inducendo novam rigorosam formam probationis Jurispatronatus in Personis potentibus, nimirum, vel ex authentico instrumento fundationis, aut dotationis, vel per immemorabilem unà cum præsentationibus effectum sortitis non minori spatio annorum quinquaginta, per documenta justificandis.

Quoad quartam Conclusionem jam plura diximus superius in hac Parte *Can. I.* Quintam conclusionem probant etiam *Canon. IV. Par. I.* & *Canon. XXVII. Par. II.* Sextam confirmant *Canones XII. & XIII. dicta Par. II.* Quoad septimam quamplurima tetigimus hic *Can. IX.*

Quoad alias verò Conclusiones infra scripti disputantur Casus.

## ARGUMENTUM.

Enumerantur probationes sufficien-  
tes ad probandum Juspatronatus  
Privatorum.

## S U M M A R I U M.

- 1 Omnia beneficia de jure præsumuntur libera collationis.
- 2 Libertas beneficij probatur ex subsecuta observantia.
- 3 Ultimus status in beneficialibus attenditur.
- 4 Attestationes conformes assistentiae juris sunt attendenda.
- 5 Juspatronatus in persona privata probari potest ordinaria juris communis probacione.
- 6 Juspatronatus privatum, quot modis probari possit. Vide ibi, & num. 7. usque ad 24., & num. 32. usque ad num. 39.

- 25 Provisiones Apostolicae non immutant statum, & naturam beneficij; & num. 42.
- 26 Provisiones beneficij factæ ab Ordinario, tamquam de libero, an, & quando non sint adversative statui Patronali? Vide ibi, & num. 27. & 28.
- 29 Ultimus status nequit constitueri Episcopum in potestate liberè conferendi, quando re integra à contrariis probationibus remanet absortus.
- 30 In conflitu plurium Testium sunt atten-  
dendi illi, qui sunt numero plures, & magis qualificati.
- 31 In Patronis Regularibus nulla cadit præ-  
sumptio usurpati.
- 40 Sententia in solo possessorio restricta non impedit, quin post assumptum examen petitorii contrarium decidatur:
- 41 Testes examinati non citata parte, non probant.

CASUS

C A S U S I . 104

**P**resentavit Titius ad beneficium A  
vacans quendam Clericum ido-  
neum, quem Ordinarius admittere, & in-  
stituere recusavit, eo sub pretextu, quod  
dictum Beneficium esset liberæ collatio-  
nis, non verò jurispatronatus; Fundabat  
Episcopus suam intentionem, in quibus-  
dam provisionibus Apostolicis factis  
absque ulla mentione jurispatronatus; &  
in nonnullis aliis provisionibus factis à  
se, & à suis antecessoribus de eodem be-  
neficio, tamquam de libero, & in attestati-  
onibus quorumdam testium deponen-  
tium super libertate ejusdem beneficii.  
Orta proinde lite inter Titium, & Epi-  
scopum, queritur in hoc casu an constet  
de jurepatronatus?

**V**idetur non constare de jurepatrona-  
tus, sed supradictum beneficium esse li-  
beræ collationis. Si quidem in primis mi-  
litat pro libertate hujus beneficii assisten-  
tia juris, per quam omnia beneficia præ-  
sumuntur liberæ collationis per Text. in-  
can. Omnes Basilicæ 16. qu. 7. & est Theo-  
rica Innocentii in cap. Cùm venerabilis n. 9.  
de exception. quam sequuntur Rot. coram  
Cavaler. decis. 159. n. 1. & coram Seraph.  
decis. 1353. num. 2. & seq. & coram Royas  
decis. 99. n. 4. & decis. 514. n. 2. par. 17.  
& decis. 395. n. 4. par. 19. & in Cremonen.  
Beneficii 11. Maii 1705. §. Non solum cor-  
am R.P.D. Kaunitz. & in Lucana Benefi-  
cii 22. Febr. 1709. §. Quo enim in fin. cor-  
am R. P. D. Falconerio impress. Par. II.  
Can. XXII. XXIII. & XXIV. Cas. III. n. 3.  
& in Bovinen. Archipresbyteratus 10. Mar-  
tii 1710. §. Constito coram R. P. D. Aldro-  
vando, & in Abulen. Cappellaniæ 28. Ju-  
nii 1715. §. Parum coram R. P. D. An-  
saldo.

**D**einde eamdem libertatem concludit  
subsequuta observantia; Hujusmodi nam-  
que beneficium fuit per duas vices pro-  
visum à Sede Apostolica, nulla facta men-  
tione jurispatronatus; & per alias duas  
vices ab Ordinariis tamquam de libero,  
nimirum una vice ab Ordinario defuncto,  
& altera vice à moderno Episcopo, per  
cujus provisi obitum modò vacat dictum  
beneficium, quæ provisiones absque du-  
bio qualificare videntur ejusdem benefi-

Pars V.

cii libertatem, dum si hoc non fuisset li-  
berum, sed Patronale; Patronus non per-  
misisset illud provideri tamquam de libe-  
ro, ut in similibus terminis consideravit  
Rot. in Mediolanen. Prioratus super dubio  
ignobilium 15. Junii 1703. §. Quod autem,  
& super qualitate agnatitia 18. Junii  
1702. §. final. coram Eminentiss. Scotto,  
& in Cremonen. Beneficii 14. Maii 1706.  
§. Tantò facilius coram R. P. D. Kaunitz.  
adèò ut vacante nunc eodem beneficio  
debet Ordinarius manuteneri in posses-  
sione illud liberè conferendi; Cùm in  
Beneficialibus ultimus status semper ve-  
niat attendendus, ut quam pluribus au-  
toritatibus probat Rot. in Mediolanen.  
beneficii 1. Aprilis 1707. §. Adeò coram  
R.P.D. Ansaldo, & in Abulen. Cappellaniæ  
28. Junii 1715. §. Indubitantius coram  
eodem.

**A**ccedunt insuper attestations duo-  
rum Testium deponentium super liberta-  
te dicti beneficii, qua attestations cùm  
sint conformes assentiæ juris, eis defe-  
rendum venit, ut admonet Card. de Luc.  
de decim. disc. 13. nu. 8. Rot. decis. 1135.  
nu. 4 coram Seraph. & decis. 51. n. 2. co-  
ram Gregor. & decis. 931. num. 4. coram  
Cerro.

**H**æc prima fronte suadere videntur li-  
bertatem hujusmodi beneficii; sed re me-  
lius perpenfa censeo in hoc casu illud  
non esse liberum, sed jurispatronatus Ti-  
tii. Quoniam non agitur de Persona Po-  
tentia, sed de Persona privata, in qua-  
cùm non præsumatur usurpatio jurispa-  
tronatus non habet locum dispositio hu-  
jus Canonis inducentis novam rigorosam  
formam probationis in Personis poten-  
tibus, sed ad demonstrandam existentiam  
jurispatronatus, & qualitatem patrona-  
lem in beneficio sufficit ordinaria juris  
communis probatio. Rot. decis. 211. n. 2.  
par. 1. & decis. 360. nu. 2. par. 2. rec. &  
decis. 142. nu. 2. & 13. & seq. coram Bu-  
ratt. & decis. 352. nu. 2. coram Millin. &  
decis. 445. n. 9. & seq. coram Cerro, & de-  
cis. 493. n. 1. & seq. coram eodem.

**J**uxta autem juris communis ordina-  
riam probationem juspatronatus privato-  
rum probari potest. Primò. Per Instrumen-  
tum, Testamentum, aut Codicillum,  
continentia fundationem, constructio-  
nem, aut dotationem. Quod Instrumen-  
tum,

D d tum,

- tum, aut Testamentum debet esse confe-  
tum per publicum Notarium, et si sit de-  
perditum, potest probari per copiam ex-  
tra Protocollum, dummodo Testes asse-  
rant illam convenire cum originali. *Ven-  
trigl. in prax. de jurepat. annot. 1. §. 2.  
n. 2. & seqq. Gonzal. ad regul. 8. Cancell.  
gloss. 18. n. 32. Rot. decis. 1037. n. 1. cor.  
Pania.*
- 7 Secundò. Per Testes deponentes de pu-  
blica voce, & fama, quæ in antiquis  
cùm possessione quadragenaria præsen-  
tandi probat juspatronatus, ubi usurpa-  
tionis præsumptio non intrat, *Rota de-  
cis. 77. n. 2. par. 1. rec. & decis. 154. nu. 3.  
& decis. 541. nu. 3. par. 2. & decis. 172.  
n. 6. par. 3. & decis. 159. n. 6. & dec. 169.  
nu. 5. par. 10. & decis. 329. nu. 6. par. 9.  
tom. 2. rec. & decis. 142. nu. 4. coram Bu-  
ratt. & decis. 162. n. 12. & seq. cor. Bich.  
& in Asculana jurispatronatus 26. Janua-  
rii 1703. §. Rursum coram Eminentissimo  
Scotto.*
- 8 Tertiò. Per decretum, quo Episcopus  
decrevit alicui danda esse alimenta, tam-  
quam Patrono Ecclesiæ.
- 9 Quartò. Per confessionem, & attestati-  
onem, quam facit Episcopus in lite-  
ris erectionis jurispatronatus præstanto  
suum consensum, *Rot. decis. 168. num. 12.  
par. 10. rec.*
- 10 Quintò. Per insignia, seu arma alicui  
jus familiæ apposita in Ecclesia, seu Cap-  
pella Bald. *conf. 310. lib. 5. Ancharan.  
conf. 113. n. 34. Rot. decis. 172. par. 3. rec.*
- 11 Sexto. Per inscriptiones, & epitaphia  
antiquissima mentionem facientia de fa-  
milia, & jurepatronatus, *Ventrigl. in prax.  
de jurepat. annot. 1. §. 2. num. 11. & seqq.  
Garz. de Benef. par. 5. cap. 9. nu. 113. Na-  
var. qu. for. lib. 1. cap. 49. Barbos. hic.*
- 12 Septimò. Per multiplicatas præsenta-  
tiones antiquas, & effectuatas per 100.  
annos, *Ventrigl. ubi supra nu. 16. & seqq.  
Rot. decis. 211. num. 1. par. 1. & decis. 159.  
num. 4. par. 10. & decis. 164. n. 1. & 245.  
nu. 10. par. 9. tom. 1. & decis. 329. nu. 5. &  
446. nu. 3. par. 9. tom. 2. rec. & decis. 445.  
nu. 12. coram Cerro, & decis. 34. nu. 20. &  
seqq. coram Priolo, & in Pampilonen. ju-  
rispatronatus 19. Januarii 1703. §. Docuit  
coram Eminentiss. Scotto, & in Asculana  
jurispatronat. 26. Januarii 1703. §. Quod  
coram eodem.*
- 13 Octavò. Per enunciativas antiquas à  
diversis Notariis, & in diversis Instru-  
mentis contentas, quæ habent vim famæ,  
& probant juspatronatus, *Rot. decis. 211.  
nu. 1. in fin. par. 1. rec. & decis. 360. nu. 3.  
& 4. par. 2. & decis. 172. n. 3. & decis. 661.  
n. 1. & 4. par. 3. rec.* Et etiam per enun-  
ciativas emanatas ab ipsis Patronis pro-  
batur juspatronatus, dummodo aetus, in  
quibus emanarunt, sint gesti ab ipsismet  
Ordinariis, vel ab illis approbati *Rot. de-  
cis. 661. nu. 6. par. 3. rec.* Sed solæ enun-  
ciativæ, vel fama non sufficiunt ad pro-  
bationem jurispatronatus, nisi concur-  
rant adminicula. *Dec. conf. 113. in fine  
Rot. decis. 360. n. 5. par. 2. rec.*
- 14 Nonò. Probatur juspatronatus per  
actus factos per Rectores Ecclesiæ Patro-  
nis in recognitionem jurispatronatus. *Rot.  
decis. 360. n. 10. par. 2. rec.*
- 15 Decimò. Per visitationes, in quibus  
Visitatores receperunt informationes à  
Testibus, qui sub juramento afferant be-  
neficium esse de jurepatronatus, *Rot. de-  
cis. 360. n. 11. par. 2. rec. & decis. 168. n. 24.  
par. 10. rec.*
- 16 Undecimò. Probatur per assertionem  
Episcopi, cui videtur multum deferendū,  
cùm Ordinarii soleant esse difficiles  
in admittendo aliquod beneficium  
esse de jurepatronatus propter præjudi-  
cium, quod affertur eorum liberæ colla-  
tioni. *Rot. decis. 360. nu. 12. par. 2. & de-  
cis. 164. n. 6. par. 9. tom. 1. & decis. 329. n. 8.  
par. 9. tom. 2. rec. Card. de Luc. de jurepat.  
disc. 9. nu. 17. Rot. in Asculana jurispatro-  
natus 26. Januarii 1703. §. Accedunt cor.  
Eminentiss. Scotto.*
- 17 Duodecimò. Per libros servatos in  
Archivio Episcopatus, in quibus Eccle-  
sia tamquam de jurepatronatus descripta  
extitit, vel per alia jura ab Archiviis pu-  
blicis extracta, qui plenè probant exi-  
stentiam jurispatronatus. *Rot. decis. 100.  
& decis. 172. n. 7. par. 3. rec. & in Tarrac-  
onen. Insignium super manutentione 3. Ju-  
lii 1702. §. Neque obstant cor. bo. me. Caf-  
farello, & in alia Tarraconen. juris pun-  
ctandi super negotio principali 26. Februa-  
rii 1703. §. An propterea, cor. bon. mem.  
Omanna, & in Vicen. Parochialis de Aquila-  
lata prima Julii 1712. §. Perperam coram  
R.P.D. Crispo.*
- 18 Decimotertiò. Per assertionem, & ab-  
solutam

solutam narrativam Papæ absolutæ asserentis beneficium esse de jurepatronatus juxta Clementin. 1. de probat. sed narrativa Papæ concepta per verba, ut asseritur, non probat juspatronatus. Rot. decis. 510. n. 1. par. 3. rec.

19 Decimoquartò. Per sententiam Ordinarii prolatam causa cognita, vigore cuius præsentatus fuit institutus, maximè si ista sententia fuerit latè paulò post sanctionem conciliarem. Rot. decis. 169. n. 11. & 27. par. 10. & decis. 245. nu. 21. par. 9. tom. 1. rec. & in Pampilonen. jurispatronatus 19. Januarii 1703. §. Et demum cor. Eminentiss. Scotto, & in Asculana jurispatronatus 26. Januarii ejusdem anni cor. eodem, & in Arianen. Archipresbyteratus 14. Martii 1710. §. Rursus cum seqq. cor. Eminentiss. Scotto.

20 Decimoquintò. Probatur juspatronatus per provisiones beneficii factas ab Ordinariis tamquam de jurepatronatus, siquidem si Episcopi pro tempore non agnoverissent existentiam jurispatronatus, non est verisimile, quod beneficium prævidissent ad nominationem eorum, qui asserebant se esse Patronos. Rot. decis. 169. n. 26. & decis. 32. n. 12. par. 10. rec. & decis. 352. n. 3. coram Millin. & in Colonien. Pastoratus 10. Junii 1718. §. Si verò coram R. P. D. Cerro. Probatur etiam per provisiones Apostolicas factas cum derogatione jurispatronatus; ex tali enim derogatione per Pontificem facta necessariò venit dicendum dictum juspatronatus extitisse, & extare. Buratt. cons. 324. n. 3. lib. 3. Rot. decis. 164. n. 12. & decis. 245. nu. 63. par. 9. tom. 1. rec.

22 Decimosextò. Probatur, si de libertate Ecclesiæ nullus minimus detur fumus, seu si nulla exhibeat moderni, vel antiqui temporis collatio facta ab Ordinario; hujusmodi enim tam longava observantia, quamvis negativa apertè ostendit, quod Ordinarii agnoverint Ecclesiam non esse liberæ collationis, cum non sit verisimile, quod tot Episcopi neglexissent illam conferre jure proprio, nisi fuissent certi de statu beneficii, de quo præsumuntur plenam notitiam habuisse. Card. de Luc. de benef. disc. 9. sub n. 12. & alii apud Rot. in Pampilonen. jurispatronatus 19. Januarii 1703. §. Quæ omnia coram Eminentissimo Scotto.

Pars V.

23 Denique probatur ex instrumento donationis Ecclesiæ, sive beneficii confirmatae à Sede Apostolica, quæ donatio Ecclesiæ, sive beneficii resolvitur in veram jurispatronatus concessionem juxta Rot. in Vicen. Parochialis de Aqualata prima Julii 1712. §. de qualitate, & 31. Martii 1713. S. Patronalis cor. R. P. D. Crispo, & in Colonien. Pastoratus 20. Junii 1718. §. Pertinentia coram R. P. D. Cerro, & alias auctoritates superius relatas Par. II. Can. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX. Cas. I. num. 4.

24 Enumeratis hujusmodi probationibus, seu modis, quibus probari potest existentia jurispatronatus, multa ex illis in casu præsenti concurrunt. Affert enim Titius Instrumentum donationis, in quo legitur suis antecessoribus, & sibi donatum à Patronis jurispatronatus; affert etiam antiquam sententiam Ordinarii tunc temporis; in qua causa cognita, & servatis servandis fuit canonizata pertinentia jurispatronatus dicti beneficii favore sui, ac suorum, à quibus habet causam; docet de observantia hujusmodi Instrumenti donationis, ac sententiæ; quampluribus præsentationibus inde sequitis, & effetuum sortitis, & depositionibus multorum Testium deponentium de publica voce, & fama; ex quibus omnibus probari existentiam, & qualitatem Patronalem in personis privatis tradunt auctortates superius relatae nu. 7. 12. 19. & 23. quibus addo Rot. in Compostellana Parochialis 16. Novembbris 1716. per tot. coram R. P. D. Falconerio inferius legen.

25 Quin mercantur attendi provisiones Apostolicæ hujus beneficii factæ, absque ulla mentione jurispatronatus, quia ut sèpè dictum fuit Provisiones Apostolicæ non immutant statum, & naturam beneficii ob præsumptam mentem Pontificis nunquam præjudicandi Patronis. Rot. decis. 265. n. 4. cor. Dunozett. sen. & dec. 252. n. 11. coram Priolo, & in Asculana jurispatronatus 26. Januarii 1703. §. Quo postio cor. Eminentiss. Scotto, & in Vicen. Parochialis de Aqualata 1. Julii 1712. §. Altera cor. R. P. D. Crispo.

26 Minusque obstant non nullæ Provisiones factæ ab Ordinario de hoc eodem beneficio, tamquam de libero; quia in primis Ordinarius non habet facultatem mutan-

- mutandi statum, & qualitates beneficii juxta dispositionem antecedentis *Canonis*; & quia iste provisiones non constat effectas ab Ordinario animo præjudicandi Patronis, & cùm horum scientia, & patientia. *Adden. ad Gregor. decis. 434. n. 20.* & *decis. 452. n. 13. cor. Dunozett. sen.* & *in dicta Asculana jurispatronatus ubi supra. §. final.*
- 27 Et quidem unamquamque ex dictis provisionibus ab Ordinariis tamquam de libero factis singulariter perpendendo; Prima non est adversativa statui Patronali, quia cùm plures institutiones tam antecedentes, quam successivæ ejusdem beneficii sunt pro ejus qualitate patronali, illa utpote inter media præsumitur correcta, & excludere nequit qualitatem jurispatronatus. *Rot. in Romana Cappellania S. Nicolai 28. Junii 1709. §. Diximus cor. R.P.D. Ansaldo, & in Bononien. Beneficiorum de Castello 21. Martii 1712. §. Respectu verò, & 12. Decembbris ejusdem anni §. Unionem in fin. coram R. P. D. Crispo, & in Vicen. Parochialis de Aqualata 31. Martii 1713. §. Ad predictam cor. eodem.*
- 28 Neque est adversativa statui Patronali ultima consimilis collatio, quia cùm fuerit facta absente Patrono, iste non poterat contradicere, nec præsentare, ut animadvertisit *Rot. in dicta Vicen. Parochialis ubi supra* §. *Ad dictam, & consequenter nequit constituere Episcopum in potestate liberè conferendi, nec præjudicare Titio Patrono, qui re integrâ comparuit, & qualitatem patronalem ex supradictis probationibus verificavit, præsertim, quia hujusmodi ultima provisio absorpta penitus remansit in illo genere probationum, quas ad limitationem *Canonis XXVI. Par. II.* communiter admittunt Canonistæ, de quo differit. *Rot. in Mediolanen. beneficij 1. Aprilis 1707. §. Quod si non adhuc, & §. Gessante, cor. R. P. D. Ansaldo, impress. dicta Par. II. Can. XXII. XXIII. & XXIV. Cas. IV. n. 13. & 38.**
- 30 Denique nihil officiunt depositiones duorum Testium ex adverso superius allatae; quia cùm adsint quam plurimi alii Testes deponentes de existentia, & pertinentia jurispatronatus dicti beneficij; in horum conflictu potius isti, qui sunt nu-

mero plures, & magis qualificati, & qui sunt adminiculati ex pluribus conjecturis, & dicto instrumento publico donationis, quam illi sunt attendendi. *Rot. decis. 285. nu. 5. par. 8. & decis. 53. nu. 17. par. 13. rec. & in Pampilonen. jurispatronatus 19. Januarii 1703. §. Fama coram Eminentis. Scotto.*

R. P. D. FALCONERIO

Compostellana Parochialis.

Lunæ 16. Novembris 1716.

**E**X morte secuta in mense Decembbris 1713. Hyacinthi Nogueiri Palatiō Rectoris Parochialis Ecclesie S. Juliani de Luagna, cui reperitur subjectivè unita Ecclesia S. Mariæ de Comanda, ortum habuit judicialis contentio inter Abbatem, & Monasterium S. Mariæ de Sobrado Ordinis Cisterciensis, & Promotorem Fiscalem Curia Archiepiscopalis super libertate, sive potius Patronali qualitate ejusdem Parochialis, ob quam causam renuente Provisore Compostellano indicere concursum intrâ quadri mestre à Constitutione Piana perfinitum, ad effectum, ut Abbas valeret unum ex approbatis præsentare; Antonius Crux Vega eamdem Parochiale à S. Sede impetrare satagebat, ob non factum concursum intrâ quadri mestre à Constitutione Piana præfixum, & contemporaneè Joannes Gonzalez Brios ab Abbatе præsentatus pro illius collatione pariter instabat; Quamobrem à Dataria Apostolica relaxatis utriusque supplicationibus; & executione Literarum Apostolicarum illarum vigore expeditarum mihi directa, ex quo Antonius noluit amplius litis insistere, hac de re ad instantiam Abbatis contendentis de pertinentia jurispatronatus proposui dubium = *An constet de jurepatronatus favore Monasterii de Sobrado, & in contumaciam Promotoris Fiscalis pluries, pluriesque lacescunt pro informante DD. responderunt.*

31 Agitur enim de Patronis Regularibus, in quibus nulla cadit præsumptio usurpationis ad tradita per Spad. conf. 10. per tot. vol. 3. Card. de Luc. de jurepatr. disc. 5. n. 5. Rot. decis. 401. nu. 7. par. 5. rec. cum aliis

aliis congestis in Olmucen. jurisdictionis 5. Maij 1694. S. Rursus, & 14. Maij 1708. §. Nec huic cor. Reverendiss. D. meo Molines Decano. Ideoque in hac specie Patronatus, etiam si propter sui antiquitatem non exhibeatur Instrumentum fundationis, attamen non est præclusa via, quin valeat recurri ad alia remedia probatoria à jure communi approbata, cùm Sacrum Concilium Tridentinum sess. 25. de Reformat. cap. 9. tantummodo coarctaverit formam probandi juspatronatus Potentium, non autem immitaverit in jurepatronatus Privatorum antiquum probandi modum à jure communi admissum; Quinimò illum expresse preservaverit in sua prima parte, ibi = alias secundum juris dispositionem = quæ verba indigitant alium diversum modum à supra expresso consistente in authentico documento foundationis, vel donationis, sive multiplicatis præsentationibus expletis per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 18. nu. 52. & seq. Garz. de Benef. par. 5. cap. 9. nu. 81. & seq. Barboſ. de Offic. & Poteſt. Episcop. par. 3. allegat. 72. num. 40. & seq. Vivian. de jurepat. par. 2. lib. 11. cap. 5. num. 46. Rot. cor. Coccin. decis. 1278. n. 1. & 2. & in recent. decis. 312. nu. 2. par. 1. & in Olmucen. Jurisdictionis 19. Januarii 1693. S. Quintum objectum, cor. bon. mem. Muto.

32. Probat sanè Monasterium originem acquisitionis dicti jurispatronatus ex ultimis voluntatibus, atque ex Instrumentis donationum sibi factarum à pluribus Christifidelibus sub diversis temporibus, nimirum de anno 1045. à Didaco Pelagio, de anno 1229. ab Alfonso, & Munio Pelagiis, de anno 1239. ab Uraca Petri de Besenzo, de anno 1251. à Maria Petri, & de anno 1256. à Maria Pelagia, quæ absque dubio probant acquisitionem dicti jurispotonatus favore Monasterii, Vivian. de jurepat. dicto lib. 11. cap. 5. sub n. 16. Rot. decis. 707. n. 1. par. 1. recent. præsertim concurrente subsecuta observantia, dum de anno 1461. Archiepiscopus Compostellanus ad præsentationem Abbatis, & Monasterii S. Justi ad eamdem Parochialem instituit Rodericum Monis, itaut, nec amplius in discrimen revocari queat legitima translatio

jurispotonatus in Monasterium, neque pariter opponi valeat dictas donationes non fuisse ab Archiepiscopo approbatas, ut prosequitur eadem Rot. in d. decis. 707. n. 2. & 5. par. 1. rec. repetita post Vivian. de jurepat. decis. 23.

33. Hæc pervetusta acquisitio dicti jurispotonatus favore Monasterii plura secula involvens corroboratur à pluribus aliis circumstantiis, quæ in antiquis veniunt conjugendæ ad faciendum unum totum, ut ait Vivian. d. lib. 11. cap. 5. n. 41. in fine, & n. 42. Et primò à dicta sententia Archiepiscopi Compostellani lata de anno 1461. in qua judicavit juspatronatus spectare ad Monasterium, & Præsentatum ab illius Abbe esse instituendum; unde elicitur, quod cùm ageretur de extenuanda Ordinaria Jurisdictione, ob quam conservandam Episcopi solent esse valde difficiles in admittendo Beneficium de jurepatronatus, ac in instituendo Præsentatos à Patronis, nisi eis verè constet de pertinentia Patronali, idcirco eorum sententiæ sufficietes reputantur pro probando jurepatronatus, Paul. de Cittadin. de jurepatronat. par. 6. quæst. 37. nu. 3. Vivian. d. lib. 11. cap. 5. n. 59. Barboſ. de Offic. & Poteſt. Episc. par. 3. allegat. 72. nu. 47. Rot. cor. Coccino decis. 233. nu. 3. & in rec. decis. 472. n. 10. par. 19. tom. 2. & in Arianen. Archipresbyteratus 27. Junii 1708. §. De anno cor. Eminentiss. Scotto, & in Vicen. Parochialis de Aqualata prima Iulii 1712. §. Sed verū coram R. P. D. mea Crispo.

34. Secundo validum præbenthui veritati adminiculum visitationes expletæ ab Archiepiscopis Compostellani pro tempore post publicationem Sacri Concilii Tridentini, nempe ab anno 1579. usque ad annum 1617. legitimè compulsatæ anno sequenti 1618. ex quibus constat dictam Ecclesiam Parochiale fuisse visitatam, tamquam de jurepatronatus Abbatis, & Monasterii S. Justi: Ex quo sanè concludere oportet, tot, tantisque enunciativas in actu serio, & proportionato emissas in præjudicium Ordinarii enunciantis, confirmare qualitatem patronalem in Ecclesia visitata. Pax Jordan. elucubrat. Can. tom. 2. lib. 10. tit. 7. de jurepat. nu. 104. Vivian. ubi supranu. 58. Lotter. de re benefic. l. 2. quæst. 13. n. 151. Rot. coram Zarat.

Zarat. decis. 50. nu. 8. & 9. cor. Coccin. decis. 229. nu. 1. & coram Merlin. decis. 403. num. 1.

35 Tertiò pro eadem patronali pertinentia maximoperè confert antiquus Archiepiscopalis Liber nuncupatus *il Bezerro* = compulsatus in eodem anno 1618. in quo adnotatæ reperiuntur omnes Ecclesiæ de jurepatronatus totius Dioecesis Compostellanæ, inter quas Ecclesia Parochialis S. Juliani descripta appetit sub qualitate patronali Abbatis, & Monasterii S. Mariæ de Sobrado ex *Text. in cap. Cùm causam, ibique gloss. in verb. per libros anticos de probat. Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 13. num. 150. Vivian. de jurepatr. lib. 11. cap. 5. num. 68. Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 3. alleg. 72. sub n. 50. Pax Jordan. d. lib. 10. tit. 7. n. 102. & 105. Rot. cor. Peutinger. decis. 471. n. 7. cor. Zarat. decis. 50. n. 4. & in rec. dec. 77. n. 1. par. 1.*

36 Quartò probationes augmentur ex duobus aliis antiquis Libris, altero existente in Archivio Collegii Societatis Jesu, altero verò in Archivio Monasterii S. Martini Ordinis S. Benedicti, in quibus continentur omnes Ecclesiæ Patronales universæ Dioecesis Compostellanæ compulsatis pariter de dicto anno 1618. similique modo in illis ista Ecclesia S. Juliani, enunciatur esse de jurepatronatus Monasterii S. Justi; Cùm igitur plures adsint Libri in diversis Archiviis conservati, qui absque ulla variatione testimonium perhibent de dicta pertinentia Patronali, indè sequitur, ut plena sit illis præstanta fides optimè *Ripa in leg. 1. nu. 72. & seq. si cert. petat. Gratian. cons. 9. nu. 6. Rot. in Constantien. præcedentie super manutentione 27. Januarii 1713. §. De cætero cor. R.P.D. meo Ansaldo.*

37 Quintò eadem pertinentia Patronatus confirmatur à vetustissima, & hoc usque ad hæc tempora nunquam interrupta contributione Salmarum sex frumenti, quæ à Rectore dictæ Parochialis S. Juliani annuatim Monasterio S. Justi præstatur, ex qua certò certius oritur argumentum subjectionis, & pertinentiæ patronalis favore ejusdem Monasterii, ut ad rem considerat *Rot. decis. 360. n. 10. par. 2. rec. coram Peutinger. decis. 471. n. 10. & coram Zarat. decis. 50. n. 10.* Maximoperè quia

hujusmodi contributio de annis 1535. & 1547. ab Abbatे, & Monasterio fuit ad vitam locata Petro Muniz, & Petro de Valera, excepto tamen jure præsentandi Rectorem in dicta Parochiali Ecclesia, quatenus durantibus præfatis locationibus, casus vacationis evenisset, & in præfatis Instrumentis iidem Conductores se obligarunt in casu necessitatibus dictam Parochialem Ecclesiam propriis sumptibus restaurare, unde gemina promanant argumenta pro eruenda qualitate patronali favore dicti Monasterii; Alterum ex dicta duplicata enunciativa in Instrumentis dictarum locationum exarata super præservatione Juris præsentandi Rectorem in casu vacationis, quæ, et si fuerit à Monasterio ad sui favorem adjecta, nihilominus in hypothesi plenè probat, tum quia est antiqua, & recipit foimentum ab ipso actu locationis dictæ contributionis ab Ecclesia patronali facienda. *Add. ad Buratt. decis. 172. sub nu. 33. Rot. cor. Coccin. decis. 386. nu. 5. & coram Merlin. decis. 128. num. 4.* tum etiam quia non est simplex, & nuda, sed corroborata remanet à tot, tantisque aliis admiculis, & probationibus superiùs expensis, ut prosequitur idem *Add. ad Buratt. ubi supra vers. Secundò fallit, & Rot. coram Merlin. d. dec. 128. n. 5. cor. Pus. dec. 149. n. 2. lib. 3. cor. Coccin. dec. 235. n. 6. & decis. 242. n. 2. & in rec. dec. 75. nu. 3. par. 1.* Alterum verò ex ipso onere Conductori bus injuncto, reparandi in casu necessitatibus dictam Ecclesiam Parochialem, quod præsefert apud Monasterium residere jupatronatus, cùm ex dispositione Sac. Concilii Tridentini sess. 21. cap. 7. de Reformat. quando Ecclesia est pauper ad Patronos spectat illam reficere, & reaptare propter reciprocam obligationem, quæ intercedit inter Ecclesiam, & Patronos; Nam sicuti Ecclesia dat eis jus honorificum, & præsentandi Rectorem, atque si ad inopiam vergant alimenta suppeditat, ut probat *Amofaz. de Caus. piis lib. 4. c. 10. n. 39.* & fuit plenè firmatum in *Salernitana Alimentorum 17. Decembris 1712. cor. Me;* Ita pariter Patroni tenentur eam reficere, seu reparare, si propter inopiam nequeat suis expensis id agere, & ultrà literalem dispositionem Sac. Concilii Tridentini, ubi supra, ferè in verbis concordat

*Amostaz. de Caus. pii lib. 5. cap. 6. nū. 20.  
Bellett. Disquisit. Clerical. par. 1. tit. de  
Cleric. debit. §. 14. n. 20. Franch. de Eccles.  
Cathedr. cap. 13. n. 67. & seq. Ventrigl. in  
prax. rer. notab. annot. 18. §. unico n. 15.*

38 Sextò omnia usque adeò probata pro  
educenda dicta Parochiali pertinentia  
favore Monasterii magis certa efficiuntur  
à depositionibus plurium Testium formi-  
ter examinatorum, tam de anno 1592.  
quam etiam de anno 1618. unico ore  
concludentium Ecclesiam Parochialem  
S. Juliani de Luagna à tempore immemo-  
rabilis, quoties vacare contigerit in men-  
sibus Ordinarii fuisse provisam ad præsen-  
tationem Abbatis, & Monasterii S. Justi,  
ac Præsentatos institutionem, & possessio-  
nem obtinuisse à Curia Archiepiscopali  
Compostellana, subdenthium ulterius, ut  
omnes in substantia concordant, ibi  
*E così era pubblico, e notorio, senza che  
giammai habbiano veduto, né sentito cosa  
in contrario di questo, e senza contradi-  
zione alcuna, e perche oltre di che li detti Vec-  
chj dicevano di avere sempre veduto così,  
dicevano di più, che avevano sentito dire  
lo stesso dalli loro Padri, ed Avi, e da altri  
Maggiori, e più vecchj, ed anziani, e che  
lo stesso dicevano avere veduto, e sentito lo  
stesso, e così è stata ed è cosa pubblica, e no-  
toria, pubblica voce, e fama, e comune op-  
pinione, senza, che il Testimonio giammai al-  
cun tempo abbia veduto, e sentito cosa in  
contrario &c. Qua de re, cùm dicti Te-  
stes deponant non solùm de publica vo-  
ce, & fama, quæ in antiquis probat, præ-  
cipue, quando, prout hīc, hoc casu, est  
tantoperè qualificata ab aliis conjecturis,  
& adminiculis, ut pluribus relatis pro-  
bat Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 3.  
allagat. 72. n. 44. & formiter discussu articulo Rot. cor. Peutinger decis. 471. n. 1.  
& seq. ubi sub num. 2. subdit hoc sufficere,  
etiamsi quasi possessio non probetur; Sed  
etiam concludant immemorabilem, cum  
omnibus requisitis præscriptis à Gloss. in  
cap. 1. verb. *Memoria de præscript. in sexto,*  
prout ex professo Rot. in Trojana Delatio-  
nis Crucis 10. Decembbris 1708. §. Verùm,  
usque ad finem, cor. R.P.D. meo Aldrovan-  
do, & in confirmatoria 13. Decembbris 1709.  
à S. Hinc semota, usque ad finem, cor. Emi-  
nentiss. Priolo, quæ de per se sola est suf-  
ficiens ad probandam pertinentiam juris-*

patronatus, & legitimam illius acquisi-  
tionem, Felin. in cap. Causam n. 6. de præ-  
script. Vivian. de jurepatron. par. 2. lib. 11.  
cap. 5. n. 41. & n. 46. in fine, cum aliis re-  
latis à Rot. in Arianen. Archipresbyteratus  
27. Junii 1708. §. Quæ porrò, cor. Emi-  
nentiss. D. Scotto.

39 Septimò demum pro omnium comple-  
mento additur confessio Provisoris Com-  
postellani emissa in statu anni 1592. in  
quo vacata dicta Parochiali in mense Ja-  
nuarii S. Sedi reservato, in quo Patroni  
Ecclesiastici præsentare nequibant ob il-  
lius comprehensionem sub regula men-  
sium Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 18.  
n. 6. Gratian. discept. for. cap. 809. num. 5.  
Rot. cor. Priolo decis. 362. n. 10. & seqq. &  
decis. 383. n. 14. & in rec. decis. 152. n. 30.  
par. 12. fuit convocatus concursus, &  
successivè ad S. Sedem transmissus cum  
præelectione Joannis de Sanmartino, sed  
quia S. Sedes vacabat per obitum Summi  
Pontificis Innocentii IX. hac de causa  
cessabant omnes reservationes contentæ  
in regul. 9. Cancellaria; Unde dictus  
Provisor non audito, nec citato Abbatu  
post examinatos Testes concludentes di-  
ctam Parochialem fuisse de jurepatrona-  
tus Ecclesiastico, illam contulit d. Joani-  
ni magis idoneo in concursu reperto, sub  
expressa tamen præservatione jurium fa-  
vore Patronorum, & ideo dicta provisio  
non contradicente Patrono, cum proba-  
tione jurispatronatus, & illius præserva-  
tione, etiamsi non sit facta per viam in-  
stitutionis, sed per viam collationis, ad-  
huc suffragatur eidem Patrono, ut ege-  
gi dixit Rot. cor. Coccin. dec. 2108. n. 14.  
cum allegatis.

Sic comprobata patronali pertinentia  
hujus Ecclesiae favore Abbatis, & Mo-  
nasterii S. Justi, nullum obstaculum præ-  
bere visum fuit decretum latum à Nun-  
cio Hispaniarum de anno 1619. super ma-  
nutentione Archiepiscopi in possessione,  
seu quasi juris liberè conferendi dictam  
40 Ecclesiam Parochialem, quia sententia  
in solo possessorio restricta non impedit,  
quin post assumptum formale examen pe-  
titiorii contrarium decidatur, ut fuit ob-  
servatum in Nolana jurispatronatus 8. Ju-  
nii cur. anni 1716. §. Post hæc cor. R.P.D.  
meo Crispo; Eoque magis quia in dicto  
decreto manutentionis fuerunt præser-  
vata

vata jura Monasterii in peritorio, quod operatur, ut constito in dicto judicio de pertinentia Patronali favore Monasterii, non solum remaneat dictum possessorium absorptum, juxta plenē firmata in Mediolanen. Beneficii 1. Aprilis 1707. §. Testimus cor. R.P.D. meo Ansaldo, sed insuper indè promanet ejusdem manutentionis resolutio, ut fuit conclusum in Arianen. Archipresbyteratus 27. Junii 1708. §. Neque urget cor. Eminentiss. Scotto, & in Cosenaten. Manutentionis 10. Februarii 1716. §. Minusque cor. R.P.D. meo Crispo.

41 Neque pariter obstat possunt depositiones Testium à Promotore Fiscali inductorum de dicto anno 1618. nec quoque aliorum examen modò additum; Quia quoad primos Testes cùm Monasterium non fuerit in eorum examine citatum, nequeunt proinde ullum probatio- nis gradum in hoc diverso judicio affi- re ex Text. in leg. Si quando Cod. de Testi- bus, & in cap. 2. eodem tit. & utrobique gloss. & communiter scribentes; Potissimè quia inhærent aëibus collativis, tamquam de libero ab Archiepiscopo expletis, quibus non exhibitis, omni prorsus vi remanet eorum depositio destituta, Decius in auth. Si quis in aliquo n. 45. ver- restringitur Cod. de ueden. Paris. conf. 7. n. 4. lib. 3. Rot. cor. Dunozett. junior. decis. 868. n. 8. & in recent. decis. 152. nu. 18. par. 4. tom. 3. & decis. 569. n. 14. par. 19. tom. 2. Quo verò ad modernos Testes, non so- lùm eamdem patiuntur exceptionem, sed insuper ab evidentiā facti convincuntur de mendacio, dum tantum abest Promotorem Fiscalem posse exhibere collationes, tamquam de libero expletas, ab anno 1618. usque ad præsens, ut ex duabus vacationibus post dictum tempus eventis impossibilitas detegatur. Nam 42 de anno 1650. Parochialis fuit à S. Sede collata Didaco de Seraun propter resi- gnationem illi factam ab Antonio Romeo Moscoso antiquo Rectore, quæ non immutant statum Beneficii, Rot. cor. Achill. de Graff. decis. 13. de jurepatronat. & in rec. decis. 77. n. 4. in fine par. 1. & dec. 360. nu. 14. in fine par. 2. & signanter in Patronatu Ecclesiastico, cui absque Patronorum consensu derogatur per simplicem collationem factam à Papa, Angel. in leg. Sed si hac §. Patronum, ff. de in jus vocan-

Paris. de Resignat. lib. 2. quaest. 4. num. 38. Cassador. decis. 4. de probat. De anno ve- rò 1684. cùm dictus Didacus Resignata- rius obierit in mense Apostolico, hac de re conquiescente Patronorum Ecclesiasticorum facultate præsentandi, juxta su- periùs firmata in §. Septimò demum, una cum aliis relatis in Majoricen. Beneficii 9. Martii 1711. sub §. Quoniam proviso, cor. bo. me. Cafarello, fuit a Sede Aposto- lica Parochialis collata Hyacintho No- guciro Palatios in Concursu præelecto, per cujus obitum evenit in mense Ordinario hodierna vacatio; Quamobrem de medio sublatis dictis Testibus, & satis probata pertinentia Patronali favore Ab- batis, & Monasterii S. Justi onus est Pro- motoris Fiscalem probandi libertatem dictæ Ecclesiae, ut censuit Rot. in Vicen- Parochialis 12. Junii 1711. §. Exclusa, cor. Reverendiss. D. Molines Decano, & 31. Martii. 1713. §. Attenta, cor. R. P. D. meo Lancetta.

Et ita unica &c.

## ARGUMENTUM.

Constituto de Jurepatronatus, univer- sitatis Laicalis, aut alterius Perso- nae Potentis, Præsentatus ab ea est instituendus, ad exclusionem Provisi Apostolici, tamquam de libero.

## S U M M A R I U M.

- 1 Pertinentia Jurispatronatus probatur ex Bulla erectionis Beneficii, & ex decre- to super illius executione interposito.
- 2 Confitto de Jurepatronatus, est relaxan- da supplicatio Præsentati, & retardanda supplicatio Provisi Apostolici tamquam de libero.
- 3 Juspatronatus non dicitur acquisitum, se- non fuerit adimplenta conditio, sub qua fuit reservatum.
- 4 Reservato Jurepatronatus Ecclesiae sub promissione assignandi certam summam, pro illius dote an in hac summa promissa comprehendantur, & computari possint, nonnulli ducati prius Ecclesia donati; & nu. 5.

6 Pro-

6 Promissa dote Ecclesia Collegiatæ libera ab omni onere, potest illa assignari cum oneribus associandi Cadavera, & celebrandi Missam conventualem, Et quare? etiam in jurepatronatus casu.

## C A S U S I I.

Supplicantibus Oppidi Atrani decutionibus, & Opificio Lanæ Præpositis, Summus Pontifex anno 1706., ex Sententia S. Congregationis Concilii, Parochiale, & Receptitiam Ecclesiam S. Mariæ Magdalenaæ in Collegiatam sub certis conditionibus erigi per suas Literas Apostolicas demandavit; Et modernus Archiepiscopus delegatam erectionem peregit, in qua inter cætera Universitati, nomine, & titulo Fundationis, reservatum fuit Juspatronatus quatuor ex duodecim Canonicatis, qui unâ cum Præpositura Collegiatam constituunt. In hoc rerum statu Joachim de Lieto præsentatus ab Universitate ad unum ex quatuor Canonicatis sub ejus Jurepatronatus reservatis, cum renueret Curia Archiepiscopalis institutionem concede-re, instet in dataria pro expeditione Bullarum Provisionis pro Præsentato; cumque contemporaneè Antonius Colundesius eumdem Canonicatum uti liberum, & vacatum in mense Sedi Apostolice reservato expostularet, orta fuit inter ipsos lis, & controversia. Colundesius nullam erectionem Collegiatæ, & Jurispatronatus reservationem prætendit, eo quia erection in Literis Apostolicis decen-natur; Postquam Universitas, nec non Deputati, seu Regentes Montis Artis Lanæ annuos ducatos 405. tutos, & securos, ac omni onere liberos assignaverint. Universitas autem ultra annuos ducatos 45., quos antiquitus Archipresbytero, qui erat de ejus Jurepatronatus solvebat, solum alios ducatos 100. donavit; & Regentes Montis Artis Lanæ nihil de novo contribuerunt, sed redditus ex Amurca provenientes jam ab annis 1617. & 1642. donatos Ecclesiæ Parochiali pro dote novæ Collegiatæ, ejusque Capituli calcularunt; Quæ tur proinde An sit relaxanda supplicatio Antonii Colundesii; vel potius constet de Jurepatronatus Canonicatus, de quo agitur favore Universitatis Loci Atrani, ita ut sit relaxanda supplicatio Joachim de Pars V.

Lieto ab ea præsentati, in casu &c.

Hujusmodi dubium disputatum fuit in Sacra Congregatione Concilii, dum studebam apud R.P.D. Ansidæum, nunc dignissimum Sancti Officii Assessorem; cui meum aperiendo votum; negativè quoad primam, & affirmativè quoad secundam partem respondendum sentiebam.

Constat enim de pertinentia Jurispatronatus Canonicatus, de quo agitur favore Universitatis Loci Atrani titulo oneroso fundationis, & dotationis ex Bulla erectionis Collegiatæ, & ex Decreto super illius executione interposito ab Archiepiscopo; ubi reservatur Juspatronatus favore dictæ Universitatis respectu quatuor Canonicatum titulo fundationis, & dotationis, ex quibus concludenter probatur pertinentia Jurispatronatus, ut in puncto docent Rot. decis. 510. n.1. par.3. & dec. 168. n.12. & 17. par. 10. rec., & aliæ Auctoritates in superiori Casu relatæ num. 6. Ac proinde relaxanda venit supplicatio Joachim de Lieto à dicta Universitate præsentati, & è contra retardanda supplicatio Antonii Colundesii, tamquam subreptitia, quoniam si Papa scivisset præfatum Canonicatum esse de Jurepatronatus dictæ Universitatis, Gratiam tamquam de libero eidem Colundesio, aut non concessisset, aut difficilius, cum non soleat Papa præjudicare Jurepatronatus Laicorum ex fundatione, & dotatione, nec illud comprehendere sub reservationibus Apostolicis, nisi de eo fiat specialis mentio, nè Laici retrahantur à fundatione, & dotatione Ecclesiæ juxta Gonzal. super regul. 8. Cancell. gloss. 18. n.1. & seqq. Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 8. n.2. Rot. de execut. Liter. Apostolic. par. 1. cap. 6. n.334. Rot. dec. 168. n.44. & seqq. par. 10. rec., & alibi passim.

Non obstat quod reservatio Jurispatronatus in dicta Bulla fuerit conditio-nalis, nimirum, postquam Universitas, & Homines prædicti, nec non deputati Artis lanæ annuos ducatos 405., tutos, & securos, ac omni onere liberos assignaverint; Quæ conditio cum non sit per Universitatem adimpleta, sequitur quod nec sit ab ea acquisitum dictum Juspatronatus. Rot. decis. 952. n.1. & 8. coram Seraph. & decis. 285. n.140. coram Duran. & dec. 630. num. 68. & seqq. par. 4. tom. 3. rec. Licet nam-

E e

nam-

namque per ipsam fuerint assignati anni ducati 405., in his tamen ducatis 405. computati, ac comprehensi fuerunt ducat. 45., ab antiquo donati ab eadem Universitate, occasione dotationis Archipresbyteratus; ac ducati 120. antiquitus pariter donati à Collegio Mercatorum, & tertia pars reddituum ex America provenientium antiquitus quoque donata ad effectum investiendi in beneficium Ecclesiæ; itaut in totum de novo assignati fuerint ducat. 150. vel 160. circiter, non verò 405. Ulterius assignati fuerunt dicti ducati 405. non liberi ab omni onere, sed cum onere associandi Cadavera, & applicationis duarum Missarum conventionalium qualibet hebdomada.

4. Respondendo siquidem huic objecto; Per assignationem dictorum ducat. 405. factam ab Universitate, & si in eis comprehendantur ducati antecedenter donati, perfectè adimpta fuit conditio, sub qua fuit reservatum eidem Universitati dictum Juspatronatus, dum Universitas in supplicatione Erectionis Ecclesiæ Archipresbyteralis in Collegiatam, non promisit assignare dotem ducat. 405., nec Summus Pontifex in Gratia Erectionis concessa ad formam supplicationis exegit assignationem dotis ducat. 405. ultra ducatos antecedenter donatos, sed tam Universitas, quā Summus Pontifex in ducatis 405. intellexerunt comprehendere ducatos prius à dicta Universitate donatos; ut resultat ex subsecuta creatione Collegiatæ, & reservatione Jurispatronatus quatuor Canoniciatum favore Universitatis facta ab Archiepiscopo in executionem Bullæ Erectionis, ad quam reservationem Jurispatronatus, utique Archiepiscopus non devenisset, si agnovisset in ducatis 405. promissis, & assignatis, non fuisse comprehensos ducatos prius donatos; Ordinarii enim non solent esse faciles in admissione Jurispatronatus, cum agatur de proprio, & Ecclesiæ præjudicio. Rot. decisi. 168. n. 13. par. 10. & dec. 1141. coram Seraph. & in Arianen. Archipresbyteratus 27. Junii 1708. §. De anno, cor. Eminentissimo Scotto, & juxta alias auctoritates in antecedenti Casu n. 16. relatas.

5. Ac patet ex relatione Archiepiscopi,

ubi asseritur annuus introitus certus Collegiatæ consistere in solis ducatis 450. junctis aliis annuis ducatis 45., ex nonnullis censibus ad Ecclesiam spectantibus, quod non subsisteret, si in ducatis 405. non fuissent comprehensæ summae præcedenter donatae, nam aliæ Collegiata haberet majorem summam. Et etiam resultat ex prætentione Jurispatronatus restricta per Universitatem ad solos quatuor Canoniciatus; quod utique sequutum non fuisset, si in ducatis 405. non habuisset intentionem comprehendendi summas prius donatas, sed verisimiliter prætentio Jurispatronatus fuisset ab ea extensa respectu omnium duodecim Canoniciatum; cum dos ducat. 405. ultra ducatos prius donatos ad rationem ducatorum 34. circiter pro quilibet, esset sufficiens pro dictis duodecim Canoniciabus.

6. Et licet fuerint assignati ducati 405. cum oneribus associandi Cadavera, & applicandi duas Missas Conventuales qualibet hebdomada, adhuc adimpta dicitur conditio, sub qua reservatum fuit Juspatronatus; quia libertas ab omni onere promissa ab Universitate in ducatis 405. intelligitur quoad expensas utensilium, & reparationis Ecclesiæ, pro quibus se obligavit Universitas; non verò quoad alia onera, præsertim quoad onus applicandi Missam Conventualem, ad quod tenentur Canonici non solum bis in hebdomada, sed quotidiè; ut dixi superius *Can. IX. Cas. I.*, & alibi.

Et ita resolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione Concilii in *Amalphitana Canoniciatus 10. Aprilis 1717.*

ARGUMENTUM.

Forma rigorosa h̄ic à Concilio præscripta, an requiratur, quando prætenditur Juspatronatus ab universitate laicali, simul, & à Persona privata; & quæ sint probations insufficientes, & quæ sufficienes ad probandam existentiam Jurispatronatus in Personis Potentibus.

S U M M A R I U M.

- 1 *Juspatronatus competens Parochianis, aut Universitati sacerulari, præsumitur eis competere ex usurpatione.*
  - 2 *Juspatronatus probari debet à Persona, suspecta de usurpatione, vel per instrumentum publicum fundationis, aut donationis, vel per immemorabilem unà cum præsentationibus spatio 50. annorum effectuat, quando agitur contra ordinarium; secus se lis sit solum inter Personas bino inde Potentes, aut inter eorum Præsentatos; & n.3.*
  - 4 *Sententia extracta à copia informi, iusta, & totaliter ineffectuata non probat juspatronatus.*
  - 5 *Præsentationes allatæ in cartulis informibus juspatronatus non probant.*
  - 6 *Juspatronatus ad formam Concilii non probatur per euunciatiwas emissas in edito, aut in institutionibus Ordinariorum: neque per Testes, & n.7.*
  - 8 *Ex provisionibus Ecclesiæ Parochialis factæ ex prævio concursu, colligitur ipsam non esse de jurepatronatus laicali.*
  - 9 *Forma rigorosa hic à Concilio præscripta non habet locum quando juspatronatus prætenditur à Persona Potenti laicali, & à Persona Privata.*
  - 10 *Neque quando prætenditur à Persona Potenti, seu ab Universitate Ecclesiastica.*
  - 11 *Immemorabilis à Concilio requisita, ex quibus probetur. Vide ibi.*
  - 12 *Præsentationes, quando dicantur effectuatae.*
- Pars V.

- 13 *Immemorabili satisfacit etiam centenaria ad probandum juspatronatus Potentium.*
- 14 *Forma rigorosa à Concilio hic præscripta, non requiritur, quando agitur de jure nominandi ad Cappellanias mercè laicales.*
- 15 *Institutio est concedenda legitimè presentato, & num. 24.*
- 16 *Juspatronatus Potentium ex quibus probetur? Vide ibi, & n. 17. 18. 19.*
- 20 *Sola diffamatio an sufficiat ad impedirem beneficij affectionem.*
- 21 *Ad arcendum aliquem ab affectione beneficij, an sufficiat simplex attestatio Cancelarii de eodem delicto? & n. 22. & 23.*
- 25 *Præsentatus dicitur habere jus certum, quo privari non potest per solam diffamationem.*

C A S U S III.

**V**Acante Ecclesia Parochiali A, maxima orta fuit controversia inter Episcopum ex una parte afferentem Ecclesiam esse liberæ collationis; & inter Parochianos pro una voce, & Titium pro altera voce, prætendentes ex altera parte Ecclesiam esse Jurispatronatus; Quæritur in hoc casu an constet de jurepatronatus;

- 1 *Respondendum videtur negativè agi- tur enim de Persona suspecta nimiriū de Universitate Sacerulari Parochianorum, cui præsumitur competere juspatronatus ex usurpatione, quia non ita de facili plures conveniunt ad ædificandam, vel construendam Ecclesiam, & quia regulariter Ecclesiæ solent fieri ex eleemosynis plurimum, & sic non animo reservandi sibi juspatronatus Fagnan. in cap. querelam de elect. n. 8. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 13. n. 124. Rot. dec. 1. de jurepat. apud Crescen. n. 2. & seq., & dec. 25. n. 3. coram Coccin. & dec. 80. n. 1. & dec. 140. n. 2. cor. Rembold. Quo casu cùm agatur contra ordinarium ejusdem Ecclesiæ libertatem vindicantem Parochiani tenentur probare existentiam, & pertinentiam Jurispatronatus uno ex duobus modis à Concilio hic præscriptis; nimiriū per Instrumentum fundationis, vel donationis, coque deficiente per immemorabilem, unà cum præsentationibus continuatis, & effectum fortissim spatio quinquaginta annorum, &*
- 2 *Ee 2 pro-*

probatis per authenticas scripturas, aliàs si probatio hæc deficiat in minimo, vel sit turbida, & minus concludens, non est recedendum ab assistentia juris, quæ favet libertati Beneficii in hac materia suscep-tissima de usurpatione, in qua plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiritur juxta Fagnan. in cap. consultationibus num.8. de jurepat. Antonin. var. resol. lib. 1. resol. 3. n.7. Adden. ad Buratt. dec. 139. num. 11. & seqq. Rot. dec. 247. n.4. & seqq. & dec. 245. n.45. & seqq. par. 9. tom. 1. & decis. 187. n.3. & 4. par. 12. & dec. 539. n.4. par. 19. tom. 2. rec., & in Beneventana jurispatronatus 10. Maij 1700. §. Siquidem, & 28. Novembris 1701. §. Quamvis, coram bo. me. Eminentissimo Caprara, & in Arianen. Archipresbyteratus 27. Junii 1708. §. Minus relevat, coram Eminentissimo Scotto; & alias Autoritates in Commentario relatas, & fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii in Nullius 25. Octobris 1592. lib. 7. Decr. pag. 74. & in Frequentina 12. Julii 1604. lib. 10. Decr. pag. 4. à tergo. Quidquid secus esset si ordinarius non compareret, sed lis solum esset inter Personas hinc inde potentes, aut inter Præsentatos ab eis, tunc enim ad probandum juspatronatus, rigor formæ conciliaris non esset observandus, sed sufficerent leviores probationes. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 13. n. 128. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 6. §. 5. n. 49. & de tempore legal. lib. 2. cap. 104. n. 8. Carol. Anton. de Luca ad Gratian. discept. 597. n. 7. Rot. dec. 82. n. 19. & seq. par. 7. rec.

Hoc supposito talis probatio deficit in præsenti; dum tam Parochiani, quam Titius non probant existentiam, & pertinentiam jurispatronatus per publicum instrumentum foundationis, aut dotationis sed solum afferunt quamdam sententiam, qua centum ab hinc annis fuit definitum dictam Ecclesiam Parochiale esse de jurepatronatus pro una voce, dictorum Parochianorum, & pro altera voce Titii, quæ sententia nihil probat, quia Canon supradictus in defectu instrumenti foundationis, aut dotationis, ad probandum juspatronatus in Personis Potentibus requirit immemorabilem pro forma, quæ per æquipollens nequit adimpleri. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 13. n. 127. Rot. de-

cis. 25. num. 2. coram Coccin. maximè si dicta sententia esset extracta, & copiata ex copia informi, aut esset injusta, aut tota-liter ineffectuata, quo casu multo minus probant, ut de sententia ex copia informi extracta firmat Rot. dec. 1295. n. 2. & seqq. & dec. 1351. n. 3. cor. Coccin. & dec. 550. in fin. cor. Gregor. & in Recanaten. Beneficii 20. Martii 1702. §. Denique in fin. cor. Eminentissimo Caprara. De sententia in-justa docet Rot. dec. 25. n. 13. versc. non obstat post Vivian. de jurepat. & in Mele-vitana Jurispatronatus 31. Martii 1702. coram Eminentissimo Scotto, & in Cremonen. Beneficii 14. Maij 1706. §. Tum demum, coram R.P.D. Kaunitz, & in Lucana Bene-ficii 22. Febr. 1709. §. Accedit, & 2. Ju-niisubsequenis §. Multo minus, cor. R.P.D. Falconerio. Et de sententia ineffectuata tradit eadem Rota in Cremonen. Beneficii 11. Maij 1705. §. Nec provisori, & 14. Maij 1706. §. Tum etiam, coram R.P.D. Kaunitz.

5 Afferunt etiam quasdam præsentatio-nes, sed istæ non merentur attendi, ut-pote allatæ in quibusdam cartulis infor-mibus, qua nihil probant juxta Rot. in Recanaten. Beneficii 20. Martii 1702. cor. bo. me. Eminentissimo Caprara.

6 Neque probatio hujusmodi Jurispato-natus ad formam hujus Canonis adim-pleta remanet per enunciativas emissas in edicto, aut in Institutionibus Ordina-nariorum, ut firmavit Rot. decis. 349. n. 2. in fin. coram Merlin. & dec. 174. num. 11. coram Carill. & in Bononien. Archipresby-teratus 10. Martii 1710. §. Non in genere, coram R.P.D. Aldrovando. Neque per Te-

7 stes, quia de ipsis Concilium non confi-dit, sed tantum de authenticis scripturis, ut saepius decisum fuit per Sacram Con-gregationem Concilii, ut testatur Gon-zal. ad regul. 8. gloss. 18. n. 79. Pax Jordan. tom. 2. lucubrat. lib. 10. tit. 7. n. 113. vers. quinto tandem. Mantic. decis. 89. n. 2. Ad-den. ad Gregor. decis. 222. num. 11. Coccin. dec. 1784. n. 51.

8 Fortius per hæc omnia Parochiani, ac Titius non probarent existentiam, & per-tinentiam jurispatronatus; si è contrario Ordinarius ostenderet dictam Ecclesiam Parochiale fuisse semper provisam præ-vio concursu; ex hujusmodi namque provisionibus colligeretur eamdem Ec-

cle-

clesiam non esse de jurepatronatus laicali; nam si fuisset talis, ex justitia non fuisset facta provisio per concursum, sed ad præsentationem Patronorum, prævia approbatione Ordinarii. *Fagnan.* in cap. cum autem à n. 31. de jurepat. *Vivian.* eod. tract. lib. 10. cap. 1. n. 58., & alii penè Rot. in Bononien. *Archipresbyteratus* 10. Martii 1710. §. *Maximè*, coram R.P.D. *Aldrovando*.

9 At his omnibus posthabitis existimo constare in hoc casu de pertinentia jurispersonatus favore Parochianorum, & Titii; Siquidem in præsentiarum non habet locum forma rigorosa ab hoc *Canone* præscripta, dum non agitur de Universitate, aut persona Potenti laica; quæ sola prætendat juspatronatus dictæ Ecclesiæ; quo casu certo equidem esset juspatronatus rigorosè probandum uno ex supradictis modis juxta Auctoritates in *Commentario*, & hic num. 2. relatas; sed versamur in Universitate, seu in persona Potenti laica, quæ unitim cum Persona privata contendit ad se spectare Juspatronatus; in quibus terminis non intrat rigor formæ Conciliaris, quia cum pro una parte cesseret præsumptio usurpationis, cessare etiam videtur pro alia parte spectante ad personas suspectas. *Fagnan.* in cap. querelam de elect. n. 10. & seqq. *Antonell.* de regim. Eccles. lib. 3. cap. 6. §. 5. n. 45. & seqq. & de tempor. legal. lib. 2. cap. 104. n. 3. *Card.* de *Luc.* de jurepat. disc. 58. n. 22. *Adden.* ad *Buratt.* dec. 142. num. 14. & decis. 604. n. 1. coram *Buratt.*, & decis. 290. num. 19. coram *Cerro*; Sicuti idem rigor non est observandus quando agitur de Persona potenti, aut de Universitate Ecclesiastica, uti sunt Capitula Cathedra- lium, aut Collegatarum, quia cum in tali casu Ecclesia sit Patrona, in ea cessat usurpationis præsumptio. *Fagnan.* in cap. querelam de elect. n. 14. & seqq. *Card.* de *Luc.* d. discut. 58. n. 30. Unde etiam in probatione juspatronatus, non obser- vetur à supradictis Parochianis, & Titio, rigorosa forma hujus *Canonis*, non proinde absolute dici potest non constare de eorum jurepatronatus; si hoc aliud re- sultet ex presentationibus sufficientibus ad probandum Juspatronatus Privatorum. Sed etiam per malam hypothesim admissio, quod in hoc casu quoque requira- non

tur observantia rigorosa formæ Conciliaris, adhuc venit dicendum constare de jurepatronatus dictorum Parochianorum, & Titii; Quoniam licet deficiat primum genus probationis elicium ex publico instrumento fundationis, aut dotationis, eo quia illud sit desperatum, & non reperiatur, non deficit tamen alterum genus probationis consistens in immemorabili, unà cum presentationibus spatio ad minus quinquaginta annorum effectuatis;

11 Et quidem immemorabilis in præsentis probata remanet ex sententia, centum ab hinc annis emanata, authenticè extra-cta, justa, ac effectuata, qua ab Ordinario tunc temporis, causa cognita, & servatis servandis declaratum fuit constare de jurepatronatus controversæ Ecclesiæ Parochialis pro una voce favore Parochianorum, & pro altera favore Titii; Ex institutionibus ab antiquo tempore usque nunc continuatis, ex actibus negativis, nimis ex eo, quod intra lapsum tanti temporis nulla detur collatio facta ab Ordinario, ac etiam ex depositionibus Testium testantium cum requisitis *Glossæ* in cap. 1. de præscription. præfatos Parochianos, ac Titium semper fuisse ab immemorabili in possessione præsentandi Rectorem, quoties Ecclesia vacare contigerit, ex quibus omnibus probari immemorabilem, & consequenter etiam juspatronatus inter Personas Potentes docet *Card.* de *Luc.* de jurepat. disc. 4. per tot. Rot. in *Beneventana* juspatronatus 10. *Maji* 1700. §. Siquidem, & 28. Novembris 1701. §. Et quantum, coram bo. me. Eminentissimo Caprara, in Neritonem, juspatronatus super bono jure 11. Decembris 1702. §. In casu autem, coram Eminentissimo Priolo, & in Arianen. *Archipresbyteratus* 14. Martii 1710. §. Quibus coram Eminentissimo Scotto, & in Trivicanu juspatronatus 17. Junii 1718. §. Et sane cum seqq. coram R. P. D. Foscari inferius impress.

12 Constat etiam per authenticas scripturas de presentationibus spatio 50. anno- rum effectum sortitis, cum afferantur quatuor presentationes in publica forma, quæ, cum quilibet ex presentatis fuerit provisus per obitum alterius, dicuntur effectuatæ. *Adden.* ad *Buratt.* decis. 142. num. 17. Rot. in *Pampilonen*. juspatro- natus

natus 19. Januarii 1703. §. Quod enim, coram Eminentissimo Scotto.

Parum relevante, quod non constet de immemorabili, ex quo appareat de initio, idest à sententia lata centum ab hinc annis; Etenim cum hæc sententia, sit fundata in Bulla erectionis desperita, ac in præsentationibus anteactis temporibus factis, & effectum fortitis, satis dicitur constare de immemorabili, cui satisfacit etiam centenaria ad probandum juspatronatus Potentium. Card. de Luc. de jurepatr. dis. 58. n. 5. Rot. dec. 168. n. 37. par. 10. rec. & in dicta Beneventana jurispatronatus 10. Maii 1700. §. Nec obstat, cor. bo. me. Eminentissimo Caprara.

14. Ex his collige quod forma rigorosa probandi juspatronatus Potentium requiritur in beneficiis Ecclesiasticis, secus in Cappellaniis merè laicalibus, in quibus non cadit institutio; in eis namque si Persona potens prætendat juspatronatus, seu jus nominandi, in hujus probatione, eadem Persona potens non tenetur observare hanc rigorosam formam Conciliarem. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. discept. 597. num. 8. Rot. decif. 2. num. 25. par. 13. rec.

R. P. D. F O S C A R O

Trivicana Jurispatronatus.

Ven. 17. Junii 1718.

PREsupposito jurepatronatus super Ecclesia Parochiali Oppidi S. Nicolai de Ripa Trivicanæ Dicecessis pertinente ad D. Ducem Flumaris, ut Baronem ejusdem Oppidi S. Nicolai, exhibitaque ejusdem D. Ducis præsentatione canonice expleta de Antonio Gliugliaro; Confitoque demum de ejusdem Præsentati ideoneitate ex nonnullis literis testimonialibus ab Ordinario reportatis, Domini sub congruo dubio consulti meritò responderunt, dandam esse Antonio institutionem, cum hæc, concorrente idoneitate, deneganda non sit ei, qui legitimam præsentationem à Patrono reportaverat ad Text. in can. Monasterium 16. quæst. 7. Rot. decif. 444. n. 1. par. 14. rec. in Bituntina jurispatronatus 31. Januarii 1716. §. Constitit, & in Pampilonen.

jurispatronatus 14. Februarii ejusdem anni §. Primo coram Me.

Et sanè respectu pertinentiæ Patronalis nulla suboriri poterat difficultas, nam

16 quamvis ageretur de Barone loci, contra quem urgere possent usurpationis suspicio contra personas Potentes inducta per Sac. Concil. Trident. sess. 25. cap. 9. de reformat. tot nihilominus, tantaque concurrebant argumenta comprobativa ejusdem pertinentiæ, ut præfatam suspicione, omnino pœnitusque eliminassent. Et quidem se obtulit primò, quod in proximè præterita vacatione secula anno 1704. cùm ad instantiam Promotoris Fiscalis hæc ipsa excitata fuisse exceptio, Testes formiter examinati unanimiter deposuerunt, Baronem S. Nicolai reperiri ab immemorabili in pacifica quasi possessione præsentandi; Cumque in eorum personis, & depositionibus omnes verificantur circumstantiæ à Gloss. in cap. 1. verb. memoria de præscript. in 6. requisitæ ad probationem immemorabilis, hinc ad sensum etiam ejusdem Sacri Concilii constabilita censeri debet pertinentia Patronalis, ut in terminis firmavit Rot. in decif. 444. num. 3. & seq. par. 14. decif. 136. n. 13. par. 19. rec. cor. Benincasa dec. 352. nu. 2. & seq. in Neritanen. jurispatronatus super bono jure 11. Decembris 1702. §. In casu coram Eminentiss. Priolo, & 11. Aprilis 1704. §. Quandoquidem coram bo. mem. Kaunitz.

Accesserunt insuper præsentationes 17 duobus ferè seculis, ab anno scilicet 1536. per Barones usque ad modernas tempora expletæ, quæ pariter quâmcumque removebant difficultatem, cùm inde concludentissimè probata remaneat biscentenaria, quæ ad hunc effectum immemorabili æquiparatur, ut tenent Garz. de benef. par. 7. cap. 9. nu. 103. & seq. Lotters de re benef. lib. 2. quæst. 38. nu. 35. Card. de Luc. de jurepat. dis. 58. sub n. 5. & firmavit Rot. in rec. decif. 168. n. 35. & seq. cor. Emerix jun. decif. 1195. & 1271. utrobiusque n. 2. & seq. in Beneventana jurispatronatus 10. Maii 1700. sub §. Non obstat coram clar. mem. Card. Caprara, & in Arianan. Archipresbyteratus 27. Julii 1708. §. Minus relevat, & 14. Martii 1710. §. Quibus positis coram Eminentiss. Scotto; Quin relevasset, quod præsentationes, non

non appareant continuatae, quodque omnes probentur effectum sortitæ; utramque etenim exceptionem planè substulerant temporis antiquitas, & longa earumdem præsentationum series cum positiva probatione, quod admissæ extitissent per octo vices ab Ordinariis; Nam in his terminis non constito, quod Parochialis provisa fuerit tanquam libera, subintrat præsumptio, quod reliquæ provisiones temporis injuria fuerint deperditæ, & cum aliis statibus sint conformes, ut in specie dixit Rot. cor. Emerix. jun. dicta decif. 1195. in fine, in Hyeracen. Parochialis super negotio principali 25. Junii 1700. §. Non obstante cor. bo. me. Muto; & in citata Arianen. Archipresbyteratus 27. Junii 1708. §. Neque urget cor. Eminentiss. Scotto. Adeòut cùm exinde jam constet, quod concurrat immemorabilis cum præsentationibus per quinquaginta annos effectum sortitis satis adimpta remanerat probatio in his terminis à Sac. Concilio requisita, juxta præadductas authoritates.

Rursus valdè assumptum comprobarunt quamplures enunciatiæ, tum ab Episcopo Magnesio anno 1639. tum ab aliis Episcopis pro tempore, & præser-  
tim à Moderno in actibus seriis emissæ super eo, quod Baro S. Nicolai esset Patronus Ecclesiæ Parochialis ejusdem loci, quibus adstipulantibus validior efficitur jurispatronatus probatio, eo quia Ordinarii pro eorum libera conferendi facultate difficiles esse solent ad exponeendas hujusmodi confessiones, ut pas- sim advertit Rot. & signanter cor. Seraph. decif. 1141. nu. 8. coram Buratt. decif. 142. n. 12. cor. Cavaler. decif. 547. n. 4. cor. Benincasa decif. 352. n. 13 in recent. decif. 168. n. 27. par. 10. & in Neritonen. jurispatronatus super bono jure 26. Februarii 1703. §. Nec ad evertendum coram Eminentissimo Priolo, & 11. Aprilis 1704. sub §. Immemorabilis coram bo. me. Kaunitz. Unde etiam non leve resurgit argumentum, ex quo nulla adhuc exhibita fuerit collatio tamquam de libero, quæ in tanto tempori spatio utique non desiceret, nisi omnes Episcopi jurispatronatus recognovissent, ut consentaneæ ad proximè relatas decisiones ponderatum fuit in dicta Arianen. Archipresbyteratus 14. Martii 1710.

Sub §. Quibus postis coram Eminentissimo Scotto.

Et denique cæteris consultò omissis, indubia jurispatronatus emerit probatio 19 ex tribus rebus judicatis exortis in contradictorio judicio Promotoris Fiscalis, prima scilicet anno 1568. secunda anno 1626. & tertia anno 1704. juxta quas cùm sæpedictus Baro declaratus extiterit Patronus prædictæ Ecclesiæ S. Nicolai, sublata indè remanebat quæcumque usurpationis suspicio, quæ redditur inallegabilis, dum post Constitutionem Conciliarem jurispatronatus fuerat in judicio canonizatum, ut distinguendo sententias ante, & post Concilium latae tradunt Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 18. n. 26. Barbos. in annot. ad idem Conc. cap. 9. n. 26. sess. 25. de reform. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 13. n. 140. Spad. conf. 28. n. 11. lib. 2. Card. de Luc. de jurepat. disc. 58. sub n. 20. Rot. in rec. decif. 444. sub n. 18. par. 14. decif. 136. n. 22. & seq. par. 19. cor. Benincas. decif. 352. & latè in alleg. Hyeracen. Parochialis 25. Junii 1700. §. Nullatenus, & in Neritonen. jurispatronatus super manutentione 11. Decembbris 1702. §. Quatenus cum seq. cor. Eminentiss. Priolo.

Constabilita autem pertinentia Patro-  
nali acriter in Partibus impugnata, quæ longè exuberabat in præsenti manuten-  
tionis judicio, in quo regulariter leviores sufficiunt probationes, & mitius pro-  
ceditur, non obstitit exceptio hodie con-  
tra Autonium Præsentatum promota,  
quod scilicet ille reperiatur pluribus, &  
quidem gravissimis criminibus inquisitus,  
& processatus, adeòut incapax censem-  
20 dus sit assequendi Beneficia Ecclesiastica,  
præsertim curata, saltè ratione diffama-  
tionis, quæ ex se sola sufficeret ad impe-  
diendam beneficii assecutionem, juxta di-  
stinctionem inter jus quærendum, de qua  
Card. de Luc. de benef. disc. 70. nu. 4. & 5.  
Rot. cor. Seraph. decif. 516. n. 4. in rec. de-  
cif. 78. n. 16. decif. 267. nu. 8. & seq. & de-  
cif. 366. n. 1. & 2. par. 12. decif. 291. nu. 1.  
& seq. & decif. 501. n. 1. & 2. par. 19. Et  
enim de prætensis delictis, non aliud ex-  
hibitum fuit documentum, nisi simplex  
attestatio Cancellarii, quæ de per se  
12 nullam probationem constituit, cùm ad  
hunc effectum requiratur plena, & con-  
cludens delictorum probatio Garza de be-  
nefic.

nefic. par. 7. cap. 8. n. 7. & 8. Rot. cor. Peutinger. decis. 402. nu. 15. & seq. cor. Reverendiss. Ansaldo decis. 32. nu. 17. in rec. decis. 323. n. 21. par. 16. & in Sagonen. Plebania 10. Decembris 1706. §. Prout coram bo. me. Omanna, & S. Rota requirere consuevit sententias super iisdem criminibus latae, nec non transportationem actorum, unde illarum iustitia remaneat comprobata, ut dictum fuit in dicta decis. 402. nu. 16. cor. Peutinger. decis. 393. & 408. utrobique n. 7. & seq. cor. Bich. in Senogallien. Canoniciatus de Luchis 23. Iulii 1710. §. Ex quibus cor. R. P. D. meo Aldrovando, & in Rossanen. Parochialis 19. Januarii 1711. §. Prater autem cum seq. cor. R. P. D. meo Crispo.

Eidemque attestationi, eo minus deferi posse Domini censuerunt, animadverso, quod idem Antonius, ne dum usque adhuc nullam passus fuit inquisitionem, ut pandunt tres conformes attestationes annis 1707. 1711. & 1712. à Reverendissimo Episcopo reportatae, in quibus præterea bonæ vitæ, famæ, & conditionis enunciatur, ac ad exercendum Animarum Curam idoneus, sed insuper eamdem Curam per plures annos administravit in Ecclesiis Parochialibus Terræ Castelli, ubi Episcopus residebat in modum, ut exinde, aliisque Ecclesiasticis muneribus laudabiliter absolutis, collaudari promeruerit tam à Clero, quam ab Universitate dictæ Terræ, quodque magis relevat, secuta hujus Parochialis vacatione, idem Episcopus ejus doctrinam, morumque honestatem commendaverit Eminentiss. Ursino Metropolitæ, ut idem D. Cardinalis illius præsentationem à D. Duce procuraret. Quibusstantibus impossibile ferè, ac penitus improbabile reddebatur, quod perpetrasset tam multa crimina relata per Cancellerium, propter quæ nec per momentum in Curæ, & Sacramentorum administratione debuisse tolerari, ut arguant Sanchez conf. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 6. n. 28. Rot. in rec. decis. 327. n. 23. & seq. decis. 400. nu. 6. & seq. par. 16 decis. 207. n. 41. & seq. par. 17. cor. Reverendiss. Ansaldo dicta decis. 32. n. 18. & in alleg. Sagonen. Plebania 10. Decemb. 1706. §. Prout, & seq. cor. bo. me. Omanna.

Tanto magis, quia post secutam præ-

sentionem non levia supervenerunt juria, & dissensiones cum D. Duce, & cum Germano fratre ejusdem Antonii, qui reperiebatur Syndicus Terræ Castelli, ut emerit ex deductis in Sac. Congregatio-ne Episcoporum, & Regularium. Unde eo certius spernenda erat præfata attestatio Cancellarii; Cum eadem superventa causa, suspicari liceat, prætensa delicta ideata, & adinventa fuisse ad hunc præcolum effectum repellendi Antonium ab accusatione Parochialis, ut inferunt Navarr. conf. 6. nu. 2. & seq. lib. 5. de accusat. Sanch. conf. moral. tom. 1. lib. 6. cap. 3. dub. 6. nu. 27. & seq. & Rot. in d. Sagonen. Plebania 10. Decembris 1706. sub §. Quin. attendenda sit cor. bo. me. Omanna.

Non obstante igitur contraria attestatione, integra ex præmissis adhuc manet 24 Antonii fama; Et tamen quatenus exinde orta per hypothesim dici vellet diffamatio, adhuc ex ea denegari non poterat Institutio; Quia licet Præsentatus ex sola præsentatione beneficium actualiter non acquirat, ex ea nihilominus adeò firmum descendit jus, ut nisi supervenerit causa justa, & concludenter probata denegari nequeat institutio sine labore in justitiæ Vivian. de jurepatron. lib. 12. cap. 7. n. 1. Rot. cor. Bich. decis. 118. n. 19. cor. Emerix. jun. decis. 66. in fine in rec. decis. 156. num. 14. par. 17. & in Melevitana jurispatronatus 13 Januarii 1708. §. E converso cor. bon. 25 mem. Omanna; Quare habere dicitur jus certum, & perfecitè quæsum, Tambur. de jur. Abb. tom. 1. disput. 10. quæst. 4. n. 4. Rot. post eundem decis. 25. nu. 14. & in rec. decis. 74. nu. 8. par. 16. coram Emerix jun. decis. 1247. n. 4. & in Tolentinajurispatronatus 16. Februarii 1714. §. Animadversentibus cor. Eminentiss. Scotto, quo privari non posset per solam diffamationem, nisi insuper exhibetur certa delictorum probatio, ut in terminis Præsentati Lambcr. de jurepatronat. par. 1. lib. 2. quæst. 9. art. 16. per tot. Garz. de Benefic. part. 7. cap. 8. nu. 47. & seq. Rot. in rec. decis. 323. n. 21. & seq. par. 16. cor. Reverendiss. Decano decis. 32. n. 16. & in Senogallien. Canoniciatus de Luchis 23. Iunii 1710. §. Ex quibus cor. Reverendiss. Aldrovando, & de eo, qui mandatum de conferendo reportaverit, Felin. in cap. accedens 23. sub n. 2. de accusat. Anchæ. ibidem nu. 3. & 4. Rodon.

doan. de Simon. par. 4. cap. 12. à nu. 19. Rot.  
cor. Comitulo dec. 10. repetit. post 1. lib. conf.  
Farinac. & latè in rec. decis. 207. n. 44. &  
seq. par. 17.

Quibus non adversantur authoritates  
in oppositum allegatae, nam illæ loquuntur,  
& procedunt in themate, quo plures  
fuerint electi, vel Præsentati, quorum  
respectu non eadem militat ratio, cùm il-  
lorum admissio, seclusa quoque diffama-  
tione pendere dicatur à futuro, & ancipi-  
ti præelectionis eventu, id quod nullatenus  
verificatur in unico Præsentato, cui  
ut dictum est post reportatam præsen-  
tationem ex justitia debita est institutio, ut  
distinguendo casus optimè firmatum fuit  
in Bovinen. Archidiaconatus 27. Junii  
1715. S. Ac propterea cor. Eminentiss. Card.  
Scotto.

Et ita utraque &c.

## ARGUMENTUM.

Juspatronatus acquisitum, vel per  
viam accessionis, aut ex redota-  
tione, aut reædificatione à qua-  
draginta annis citra à die acqui-  
sitionis ad diem confirmationis  
Concilii an revideri possit ab  
Ordinario, quando alias fuerit  
ab antecessoribus Episcopis revi-  
sum, & approbatum.

## S U M M A R I U M.

- 1 Juspatronatus acquisitum ex redotatio-  
ne, aut reædificatione à quadraginta an-  
nis citra recognosci potest ab Ordinario,  
si nunquam fuerit recognitum; secus si  
plures fuerit revisum, & approbatum;  
& num. 3.
- 2 Patronus existens in possessione præsentan-  
di, donec revidetur juspatronatus, est in  
ea manutenendus.

## C A S U S I V.

Fuit acquisitum juspatronatus anno  
1540. à quadam persona ex reædifi-  
catione Ecclesiæ, quæ minabatur ruinam;  
Pars V.

Istud juspatronatus fuit plures recogni-  
tum per antecessores Episcopos, & fuit  
successivè provisum beneficium ab ipsis  
ad præsentationem Patroni; Modernus  
autem Episcopus prætendit illud de no-  
vo revidere; queritur an hoc possit?

Videtur respondendum affirmativè,  
quia juspatronatus supradictum fuit ac-  
quisitum titulo reædificationis Ecclesiæ  
anno 1540. & sic cùm à die illius acqui-  
sitionis ad diem confirmationis Concilii,  
quæ fuit anno 1564. de mense Maji, non  
fuerint elapsi quadraginta anni, sed so-  
lùm vigintiquatuor anni, sequitur quod  
possit ab Episcopo recognosci, & si repe-  
rit ob maximè evidenter Ecclesiæ utili-  
tatem, ac necessitatem, legitimè non esse  
constitutum, valeat Episcopus illud re-  
vocare, restitutus, ac solutis Patrono,  
quæ ipsi de proprio contulerit, ut resolu-  
tum fuisse à S. Congregatione Concilii  
testatur Pignatell. confult. 82. n. 26. tom. 9.  
Rot. decis. 162. n. 21. cor. Bich. & dec. 469.  
n. 2. & seq. cor. Coccin. Nec talis revisio  
est ullatenus præjudicialis Patrono, quia  
donec revidetur Patronus existens in  
possessione præsentandi est in ea manute-  
nendus. Capon. disc. 12. nu. 35. tom. 1. Rot.  
d. decis. 162. n. 22. cor. Bich. & d. decis. 469.  
n. 4. cor. Coccin.

3 Contrarium tamen tuetur Capon. ea-  
dem discept. 12. n. 39. quia cùm tale jus-  
patronatus non semel tantum, sed plu-  
ries fuerit recognitum ab antecessoribus  
Episcopis cum illius subsequuta appro-  
batione, mediantibus institutionibus in-  
dè sequutis ad præsentationem Patroni,  
non debet de novo revideri, alias litium  
nullus daretur finis, quia post hanc cogni-  
tionem posset alius Episcopus cognosce-  
re, & sic in infinitum; Quam sententiam  
puto veriorem; contraria solùm proce-  
dente, quando juspatronatus nunquam  
fuerit recognitum.

Animus mihi erat in hoc Canone, ubi  
revocantur Patronatus ex privilegio; ex-  
ceptis Regiis, de jurepatronatus Regio,  
Imperatoris, & de Primariis precibus,  
nec non de jurepatronatus Regum Gal-  
liarum, Hispaniarum, Portugalliarum, &  
Poloniae, ac Ducas Sabaudiae, pertracta-  
re, sed melius cogitavi hujusmodi Tra-  
ctatum typis minimè mandare, quia sem-  
per audivi, loquendum de Principe nihil.

Ff CA-